

habet, quia sic juridice probatur, amittit etiam pontificatum, quia sic expedit gubernationi Ecclesiæ, quæ humano modo fit, et secundum humanas probationes, quæ solum requirunt veritatem juridicam, non mathematicam, et quia pontificatus non consistit in caractere, qui nulla actione est debilis, sed in jurisdictione, quæ ex moralibus conditionibus pendere potest, ideo ex culpa moraliter, et juridice notoria, tamquam ex conditione pendere potest potestas ista pontificia, licet in re innocens sit. Adde tamen verisimilibus videri illum casum impossibilem esse, quod scilicet Ecclesia judicet aliquem non esse pontificem, qui vere in re sit pontifex, hoc enim esset falli Ecclesiam universalem inferendo iudicio circa rem gravissimam, quæ et totum Ecclesiæ corpus tangit, ita quod sicut Ecclesia falli non potest in iudicando canonizationem alicujus sancti, ita in condemnando aliquem tamquam hæreticum, et deponendo illum a pontificatu, non videtur errare posse Ecclesiam, nec permitti a Deo, ut judicet non esse pontificem illum, qui vere in re pontifex est.

XIV. Sed inquires, an aliquis alius casus præter relatos admittendus sit pro quo pontifex deponi possit. Respondetur negative; sed omnes quotquot fingi possunt ad hos reducuntur, et propter nullum alium deponi potest. Quæ est communis sententia theologorum, et multorum etiam juristarum. De theologis videndus est Turrecremata in summa, libro secundo, capite nonagesimo tertio et sequentibus; Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ libro primo, capite quarto; Paludanus, et alii, quos citat Cajetanus tractatu de potestate papæ, capite xxvi; Suarez, et Azorius, et Bellarminus. Ex canonistis Felinus in capite Nonnulli de rescriptis, versu Sed non vide-

tur; Andreas Siculus clementina Ne Romani de electione; Imola ibidem cardinalis Alexandrinus in capite Si papa, et alii. Ratio est in primis, quia in jure propter nullum crimen papa deponi potest, excepta hæresi sicut colligitur ex capite Si papa, distinctione xl jam citata, ubi culpas papæ nullum mortalium redarguere posse affirmatur, nisi deprehendatur a fide devius; ergo præter casum fidei propter nullas culpas est redarguendus pontifex, et eadem exceptio habetur capite Oves, xx, quæstione vii. Secundo, et fortius instatur ista ratio quia secundum jus, papa a nemine iudicatur, ut habetur in pluribus iuribus, in quibus dicitur, eos eorumque causas soli Deo reservari iudicandas, ut in capite Aliorum, capite Cuncta ix, quæstione iii, et in capite Ejectionem, lxxi distinctione, et denique in extravaganti Unam sanctam de majoritate, et obedientia, et capite Licet de electione, si deviet suprema potestas a solo Deo iudicatur; ergo depositio papæ directe non potest fieri per viam iudicii, et punitionis, cum non habeat superiorem in terris, a quo puniatur, aut corrigatur. Solum ergo potest deponi propter indispositionem ex parte ipsius, ut sit caput Ecclesiæ, quia scilicet est separatus, et segregatus ab ipsa relinquendo fidem, ita quod Ecclesia debeat illum vitare: propter reliqua vero peccata quantumcumque gravia nunquam tenetur Ecclesia eum vitare, quia ipse non est segregatus ab Ecclesia, nec per excommunicationem separari potest, ergo neque debet a pontificatu excludi: nam si excluderetur non id fieret quia Ecclesia non potest illi adhærere, et manere conjuncta, sed quia propter demerita pontificis ipsum tamquam indignum repellit a pontificatu. Hoc autem secundum non potest fieri nisi ab habente auctoritatem, et jurisdictio-

nem supra ipsum reum, qui puniatur propter demerita; ergo cum hæc potestas in nullo reperiatur, neque etiam in Ecclesia, quia papa non potest habere superiorem in terra, consequenter neque propter ista crimina iudicandus est. Et neque propter hæresim directe iudicatur papa, sed quia ex Scriptura, et jure divino Ecclesiæ tenetur segregare se, et non communicare hæretico, ideo facta declaratione quod sit hæreticus Ecclesia non potest ipsum respicere ut caput, quia non potest ei communicare, caput autem cui corpus non est unitum, et cui non communicat, non est caput.

XV. Ex hac autem doctrina solvere potest motiva canonistarum tenentium oppositum cum glossa in dicto capite Si Papa, eamque glossam approbavit Panormitanus capite Significasti de electione, numero quarto, et aliis in locis, et Ancharanus in tractatu de schismate, Rosellus in sua monarchia, tractatu secundo de forma eligendi papam, aliique canonistæ. Qui propter crimen simoniæ, et alia crimina, quæ vergerent in grave damnum, et scandalum Ecclesiæ, sentiunt papam deponi posse, eo quod magnum etiam incommodum afferri potest Ecclesiæ per alia crimina sicut per hæresim, dissipando ejus regimen, et violenter, ac tyrannice tractando: est autem de jure naturali quod Ecclesia possit se defendere, et eum vi repellere, quod facere non potest nisi ipsum deponendo, sicut in crimine hæresis ob eandem rationem potest ipsum deponere. Quod etiam videtur aliquando fuisse in usu Ecclesiæ, nam Sixtus III se purgavit de quibusdam criminibus sui objectis, ut habetur in capite Mondastis, et de Leone III, in capite Auditum est secundo, quæstione v, et de Leone IV, in capite Nosti incompetenter a quæstione septima. Et Eugenius

IV depositus est in Concilio Basiliensi sine causa hæresis et similiter narratur de Joanne XII, et saltem si pontifex esset hæreticorum fautor, licet non esset hæreticus sine dubio deponi deberet, et idem iudicium erit si papa juraverit se renuntiaturum pontificatui, tunc enim poterit cogi ab Ecclesia, ut adimpleat.

XVI. Nihilominus ex fundamento posito hæc omnia diluuntur: nam et si verum sit quod papa criminosus magnum præjudicium inferat Ecclesiæ, tamen Ecclesia non tenetur, nec potest se ab ejus communicatione separare, nec ipsum judicialiter punire, et ideo tamquam caput debet ipsum sustinere, in casu vero hæresis tenetur se ab eo separare, ut dictum est, et propter eam debet ipsum pro capite non habere. Potest autem se defendere, non quidem ipsum deponendo, sed eum vi repellendo si violenter, et tyrannice procedat, sicut si armis vellet contra justitiam aliquid moliri, posset armis repelli; et similiter si contra bonos mores aliquid statueret non est illi parendum, quia lex injusta non obligat. Quod vero aliqui pontifices se purgaverint a criminibus, id non fuit ex necessitate, sed ex propria voluntate, ut in illis textibus aperte significatur. Reliqui vero ut Eugenius IV, et Joannes XII, et si quis alius, depositi fuerunt violenter, et contra jus, ex quo non potest trahi argumentum. De fautore vero hæreticorum Azorius ubi supra capite septimo, tenet quod si sit papa fautor, aut defensor hæreticorum, et in hoc sit incorrigibilis poterit deponi, et capite tertio idem docet ex Turrecremata. Et favet exemplum Liberii, qui quando favit hæreticis, in ejus locum Felix suffectus est, quod non nisi abrogato eo fieri potuit juxta doctrinam communem. Hoc tamen intelligendum est, videlicet si papa sit fautor

hæreticorum in his, quæ ad hæresim ordinantur: nam si faveret hæretico non in causa hæresis, sed propter aliquam particularem causam, verbi gratia, jure cognationis, amicitiae, non videtur posse deponi, cum formaliter non sit fautor hæreticorum, licet homini alias hæretico faveat in causa temporali, et politico. Fautores enim hæreticorum ejusdem criminis censentur cum hæreticis in jure, ut colligitur ex capite Excomm. §. Credentes de hæreticis, et capite Quicumque eodem titulo in sexto, et ibi communiter doctores. Non autem intelligitur fautor nisi qui aliquem favet in quantum hæreticum, id est, secundum aliquam relationem, et ordinem ad hæresim ut bene notavit Cajetanus in summa verbo excommunicatio, capite primo, quem sequitur Navarrus in manuali, cap. xxvii, numero lv, et sequitur Azorius tomo I, lib. viii, capite decimo quinto; Suarez tomo de fide, disputatione prima. Quare si papa faveret alicui principi hæretico non in ordine ad hæresim neque in quantum hæreticus, sed ratione cognationis, propinquitatis, vel amicitiae, non esset deponendus, quia in re non est hæreticus, neque hæreticorum fautor, nisi forte in foro judiciali probaretur ex hoc formaliter suspectus in hæresi, aut hæreticus esse, et incorrigibilitas ejus constaret in favendo hæreticis. In casu autem juramenti papæ de renuntiando respondetur Ecclesiam non posse cogere ipsum, ut juramentum adimpleat, quia potest ipse pontifex sibi juramentum relaxare ex causa rationabili; non pertinet autem ad Ecclesiam judicare an causa rationalis sit ad talem relaxationem, et sufficiens, cum non sit superior papa; unde simpliciter non potest eum cogere ad servandum juramentum.

DE DEPOSITIONE PAPÆ.

XVII. Restat secunda difficultas tractanda, scilicet a qua potestate debeat fieri hæc papæ depositio. Et tota quæstio versatur circa duo, scilicet circa declarativam sententiam, qua declaratur crimen papæ a quo debeat fieri, an a cardinalibus; vel a Concilio generali: et si a Concilio generali per cujus auctoritatem debet congregari, et cujus virtute cognoscere de tali causa. Et secundo, circa ipsam depositionem, quæ facienda est post declarativam criminis sententiam, an fiat per potestatem Ecclesiæ; an vero ab ipso Christo Domino immediate supposita declaratione. Et quoad primum dicendum est tractationem hanc de depositione papæ quoad declarationem criminis nullo modo pertinere ad cardinales, sed ad Concilium generale. Quod patet primo ex usu quidem Ecclesiæ: nam in casu Marcellini de thurificatione idolorum congregata est Synodus ad illam causam discutiendam, ut habetur in capite Hunc autem, distinctione xxi. Et in casu schismatis in quo erant tres pontifices reputati in suis obedientiis congregata est Synodus Constantiensis ad illud schisma sedandum, in causa etiam Symmachi papæ congregatum est Concilium Romæ ad ea tractanda, quæ illi obiciebantur, ut tradit Antonius Augustinus in epitome juris de pontifice maximo, titulo decimo tertio, et in juribus supra citatis habetur, pontifices, qui de aliquibus criminibus sibi objectis satisfacere voluerunt, coram Concilio id fecisse. Secundo, etiam constat hanc potestatem tractandi causas pontificum, et ea quæ ad depositionem ejus spectant non esse commissam cardinalibus; remanet ergo in depositione Ecclesiæ,

cujus auctoritatem repræsentat Concilium generale; cardinalibus enim tantum est commissa electio, et non amplius, ut constare potest legenti ea, quæ ex jure adduximus articulo primo. Videantur de hac re Turrecremata lib. ii summæ, cap. xciii; Cajetanus supra citatus; doctores canonistæ in capite In fidei de hæreticis in sexto, et in capite Si papa, distinctione quadragesima.

XVIII. Sed nunc restat explicare cujus auctoritate convocandum est hoc Concilium, non enim auctoritate papæ congregari potest, cum contra ipsum congregetur; non potest autem esse legitimum Concilium nisi auctoritate papæ congregetur, unde pontifex posset illud recusare, et annullare, si contra ipsius voluntatem congregaretur, si quidem ante declarationem criminis est verus papa; ergo subest ejus potestati quodcumque Concilium congregetur, et consequenter si velit, potest illud dissolvere.

XIX. Respondetur, quod illud Concilium congregari potest auctoritate Ecclesiæ, quæ est in ipsis episcopis, vel majore eorum parte; habet enim jus Ecclesia ad segregandum se a papa hæretico ex jure divino, et consequenter ad adhibendum omnia media ad talem segregationem per se necessaria; medium autem necessarium, et per se est ut juridice constet tale crimen; non potest autem juridice constare nisi formetur competens iudicium, non potest autem in re tam gravi competens esse iudicium, nisi per Concilium generale, quia tractatur de universali capite Ecclesiæ, unde pertinet hoc ad iudicium universalis Ecclesiæ, quod est Concilium generale. Et ita non assentior patri Suarez existimanti posse hoc tractari in Conciliis provincialibus, nec enim Concilium provinciale repræsentat universalem Ecclesiam, ut

ejus auctoritate possit negotium hoc decidi; nec plura etiam Concilia provincialia talem repræsentationem habent, aut auctoritatem. Quod si non de ipsa auctoritate loquamur in cujus virtute judicandum est, sed de convocatione Concilii, a quo sit facienda, existimo id non esse alicui determinate commissum, sed posse hoc fieri vel a cardinalibus, qui hanc notitiam ad episcopos derivare possunt, vel a propinquieribus episcopis id posse denuntiari aliis, ut omnes conveniant; vel etiam ad instantiam principum id fieri posse, non quidem quantum ad convocationem coactivam, sicut quando pontifex convocat ad Concilium, sed convocatione denuntiativa, qui tale crimen episcopis denuntiatur, et manifestatur ut illi succurrant. Quare pontifex non potest tale Concilium annullare, aut recusare, quia ipse est pars, et Ecclesia habet ex jure divino posse illud congregare ad hunc finem, quia habet jus ut segreget se ab hæretico.

XX. Quoad secundum vero, scilicet cujus auctoritate declaratio, et depositio facienda est, et dissensio inter theologos, nec enim apparet a quo sit facienda ista depositio, cum sit actus iudicii, et jurisdictionis, quæ in papam a nullo exerceri potest. Cajetanus in opusculo de potestate papæ, capite xx, refert duos modos dicendi extreme oppositos; duos etiam medios. Inter extreme oppositos unus est quod papa ipso facto quo est hæreticus, et depositus absque humano iudice: alter est quod simpliciter papa habet superiorem potestatem a qua possit iudicari. Inter modos mediate se habentes alter dicit, quod papa non absolute habet superiorem, sed solum pro casu hæresis; alter quod nec absolute, nec pro casu hæresis habet superiorem potestatem in terris, sed solum ministerialem, sicut

Ecclesia habet ministerialem potestatem eligendi quoad designationem personæ, non quoad collationem potestatis, quia hæc fit immediate a Christo, ut diximus articulo primo. Sic etiam in depositione, seu destructione hujus conjunctionis, qua pontificatus est conjunctus isti personæ in particulari Ecclesia habet ministerialem potestatem deponendo ipsum ministerialiter; Christus autem auctoritative ipsum privare. Et ex his duobus modis dicendi primum sequitur Azorius II, tom. II, cap. VII, scilicet Ecclesiam esse pontifice superiorem in casu hæresis. Alterum vero modum dicendi sequitur Cajetanus et late illum explicat. Ejus tamen sententiam refert, et impugnat Bellarminus libro II de Romano pontifice, cap. XX, præsertim in duobus, scilicet quod Cajetanus dixerit papam hæreticum manifestum non esse ipso facto depositum, et quod papa ab Ecclesia deponitur vere, et ex auctoritate Suarez quoque disputatione sæpe citata, sect. VI, num. VII Cajetanum impugnat, quod dixerit Ecclesiam in casu hæresis supra papam tamquam privatam personam, non in quantum papa est. Quod tamen Cajetanus non dixit, sed quod Ecclesia non est supra papam absolute etiam in casu hæresis, sed quod est supra conjunctionem pontificatus cum ista persona dissolvendo illam, eo modo quo illam per electionem conjunxit, quæ potestas Ecclesiæ ministerialis est, nam simpliciter superior solum est Christus Dominus respectu papæ. Et ideo Bellarminus, et Suarez censent papam hoc ipso quod est hæreticus manifestus, et pro incorrigibili declaratur, a Christo Domino immediate deponi, non ab aliqua auctoritate Ecclesiæ.

XXI. Igitur Cajetani sententia tribus dictis continetur. Primum est, papa hæreticus per ipsum factum

hæresis præcise non privatur pontificatu, nec deponitur: secundum est, Ecclesia nullam potestatem, nec superioritatem, etiam in casu hæresis habet supra papam ex parte potestatis papæ, quasi sit potestas supra potestatem etiam in tali casu, sed nullo pacto potestas Ecclesiæ est supra potestatem papæ, et consequenter neque supra papam absolute: tertium dictum est, potestas Ecclesiæ habet pro objecto applicationem potestatis papæ ad personam, designando illam per electionem, et separationem hujus potestatis a persona, declarando illum pro hæretico, et evitando a fidelibus. Itaque licet declaratio criminis sit quasi dispositio antecedens, et ministerialiter se habens ad depositionem ipsam, tamen dispositive, et ministerialiter attingit etiam formam, quatenus tendendo in dispositionem tendit mediate in formam; sicut in generatione, aut corruptione hominis, neque generans producit, aut educit formam, neque corrumpens destruit, sed solum conjunctionem aut separationem formæ, attingendo immediate dispositionem materiæ ad ipsam, et mediantibus illis formam.

XXII. Primum dictum Cajetani ex supra dictis est manifestum, nec legitime impugnatur a Bellarmino. Et ejus veritas constat; tum, quia papa quantumcumque sit vere, et publice hæreticus, si tamen corrigi sit paratus non potest deponi (ut supra diximus) nec Ecclesia secundum jus divinum potest illum deponere, quia nec potest, aut debet ipsum evitare, cum Apostolus dicat: *Hæreticum hominem post primam, et secundam correptionem devita*; ergo ante primam, et secundam correptionem non est devitandus ab Ecclesia et consequenter nec deponendus: ergo falso dicitur quod ipso facto quod pontifex est publicus

hæreticus est depositus: potest enim esse publicus, sed nondum ab Ecclesia correptus, nec declaratus ut incorrigibilis; tum etiam, quia (ut bene advertit Azorius ubi supra) nullus episcopus quantumcumque hæreticus exterior licet ipso facto incurrat excommunicationem, non tamen ipso facto amittit jurisdictionem, et potestatem episcopalem, quousque ab Ecclesia declaretur, et deponatur; soli enim excommunicati non tolerati ipso facto jurisdictionem amittunt, scilicet qui nominatim excommunicantur, vel sunt manifesti percussores clerici; ergo si episcopus, nec aliquis alius prælatus ex sola hæresi exteriori non amittit ipso facto potestatem, cur amittet papa ante declarationem Ecclesiæ, præsertim cum papa excommunicationem incurrere non possit, quia ut suppono nulla excommunicatio datur lata ipso jure divino; ex jure autem humano excommunicari non potest, cum sit superior omni humano jure.

XXIII. Secundum vero dictum Cajetani probatur, quia potestas papæ absolute est potestas derivata a Christo Domino, et non ab Ecclesia, et illi potestati subjecit Christus totam Ecclesiam, id est, omnes fideles sine ulla restrictione, ut de fide certum est, et supra late probatum; ergo in nullo casu potest Ecclesia habere superiorem potestatem ad istam, nisi pro illo casu reddatur illa potestas dependens ab Ecclesia, et inferior ad illam, et hoc ipso quod redditur inferior pro illo casu jam potestas illa mutata est, et non manet eadem quæ ante, si quidem ante erat super ad totam Ecclesiam et independens ab illa; pro illo autem casu redditur dependens et inferior; ergo nunquam verificatur quod Ecclesia habet potestatem supra potestatem papæ formaliter, quia ut habeat potestatem supra illam pro

aliquo casu, debet illa potestas esse formaliter alia, et non ita ampla, et suprema sicut ante. Neque ex aliqua auctoritate constat Christum Dominum dedisse hoc modo potestatem Ecclesiæ supra potestatem papæ, ea enim quæ in casu hæresis loquuntur, non indicant superioritatem supra potestatem papæ formaliter, sed solum evitacionem, separationem, negationem communicationis, etc. quæ salvari possunt sine potestate superiori formaliter supra potestatem papæ. Nec est fundamentum, ut dicamus Christum Dominum, qui sine ulla restrictione dedit supremam, et independentem potestatem Petro, ejusque sedi, determinasse, ut pro casu hæresis esset dependens et inferior ad potestatem Ecclesiæ formaliter in ratione potestatis, ita quod maneret subordinata potestas respectu Ecclesiæ, et non superior sicut ante. Quoad id vero quod dicit dictum secundum Cajetani, videlicet Ecclesiam non habere potestatem superiorem papæ, si absolute accipiatur, in superioribus late probatum est cum Ecclesia debeat esse subjecta papæ, nec ejus potestas ab Ecclesia originetur, sicut potestas politica, sed immediate a Christo cujus gerit vices. Quod vero neque in casu hæresis sit superior papa ex parte potestatis papæ patet; tum, quia ipsa potestas papæ in nullo casu est derivata, et originata ab Ecclesia, sed a Christo; ergo in nullo casu est potestas Ecclesiæ superior; tum, quia potestas papæ ut originata a Christo instituta est tamquam suprema super omnem potestatem Ecclesiæ, quæ in terris est (ut supra probatum est ex pluribus auctoritatibus) nullus autem casus exceptus est a Christo Domino, in quo ista potestas limitetur, et subiciatur alteri, sed semper, et respectu omnium loquitur de illa tamquam de suprema, et monarchia.